LINGVÆ SEPTENTRIONALIS ELEMENTA

TRIBUS ASSERTIONIBUS

Adstructa

B. S. S. T.

Consensu Amplissimi Senatus Academici,

HAFNIÆ

Ad diem 30 Augusti Anno Dn,

cIↃ IↃ C LI

Placido τῶν Φιλαρχαίων Examini

subjicit

RUNOLPHUS JONAS ISLANDUS,

RESPONDENTE

GISLAO THORLACIO ISLANDO

In Auditorio superiori Horis ab VIII. antemeridianis.

Imprimebat Melchior Martzan

Academiæ Typographus.

HEROI
MAGNIFICO, ILLUSTRI,
STRENNUO,
DN. CHRISTIANO THOMÆO
DOMINO IN Stowgaard/
EQVITI AURATO,
REGNI DANIÆ SENATORI PRIMARIO,
MAGNO
MAXIMI REGIS
DN. FRIDERICI III.
CANCELLARIO,
LITERARUM ET LITERIS TINCTORUM
FAUTORI SUMMO,
DOMINO SUO, MÆCENATI, PATRONO ET
PROMOTORI BENIGNISSIMO,
QVEM IN PYLIOS ANNOS SUPERSTITEM,
SALVUM, FELICEM
CONSERVET
VITÆ MORTISQVE ARBITER,

Hoc grati animi τεκμήριον
humillimè offert

Magnif. ejus devotißimus
Cultor & Cliens

RUNOLPHUS JONAS ISL.



ASSERTIO I.

Lingva veterum Septentrionalium apud Islandos sarta tecta manet hodieq; in usu est.



Tsi non uno nomine incolis incommmodat illa Oceani Septentrionalis vastitas, qvæ Islandiam circumfusa, à cæteris eam terris longo intervallo seqvestrat; suo tamen non caret usu. Effecit n. hæc locorum distantia, qva Islādi à reliqvis gentibus dirempti, ac velut disgregati sunt, ut lingvam avitam & antiqvissimam, qva primi Insulæ habitatores usi fuerant, inviolatam & ab omni exterarum lingvarum commistione illibatam in hunc usq; diem retinerent. Qvam eandem esse cum veteri Norvegicâ, qvæ olim tùm Danica, tùm Gothica dicta est, extrà controversiam positum reor. Origo enim Islandorum, qvam à Norrigis ducunt, id vel sola evincere potis est. Annus namq; numerabatur à nato Christo ƆCCCLXXIV. Cum generosissimæ Norrigorum familiæ, Imperii Haraldiani jugo excusso, Coloniis Islandiam eo usq; incultam ac desertam occupare primùm inciperent. Qvibus cum Islandi originem debeant, necessum est, ut eosdem sermonis, qvos sangvinis, Authores habeant. Liqvet igitur lingvam tunc temporis in Norrigia usurpatam, Islandis nativam esse. An verò Norrigi tùm, cùm habitationes in Islandiam transferrent, ore majorum suorum, id est, prisca illa Norrigicæ gentis conditorum lingva locuti sint, altioris fortassis erit indaginis. Dubitandi enim causam præbere haud immeritò poterit illud temporis spatium, qvod à primordiis gentis Norrigicæ usq; ad habitatam Islandiam decursum est: qvod non paucorum sed plus mille annorum fuisse ex antiqvitatibus manifestum evadit. Describunt enim Islandorum annales immigrationem qvandam gentium Asiaticarum in septentrionales hasce regiones multis

Annales Oddverianí A. S. F. Arng Crymog. Lib. 1. Cap. 2.

antè natum Christum annis factam, qvam Snorro Sturlesonius in præfatione Eddæ & in Chronico Regum Norvegorum ad id tempus refert, qvo Romani, duce Pompejo, bellum in oriente gesserunt. Sed dubium, an hic Pompejus Magnus intelligi debeat; an verò alius eo prior, qvod historiis & Regum ab Odino satorum successioni convenientius. Cum igitur nemo nesciat qvam fatale, ut rebus omnibus, ita & lingvis sit, ut in ipso decursu temporum mutentur: qvod eleganter Poeta expressit:

Ut Sylvæ foliis pronos mutantur in annos,
Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas,
Et, juvenum ritu, florent modò nata vigentq́;.
Debemur morti nos nostraq́; sive receptus
Terrâ Neptunus Classes Aqvilonibus arcet
Regis opus, sterilisve diu palus aptaq; remis
Vicinas urbes alit & grave sentit aratrum;
Seu cursum mutavit iniqvum frugibus amnis,
Doctus iter melius. mortalia facta peribunt:
Ne dum sermonum stet honos & gratia vivax.

Non sine causa ambigitur, an Lingvæ Norigicæ tot seculorum intervallo sua constiterit integritas. Nos ajenti sententiæ subscribere haud veremur, eo inducti argumento, qvod extent adhuc Rithmi antiqvissimi, sub titulo *Havamaal*, eadem lingva, qvæ hodiè Islandica dicitur, conscripti, qvos Odinus Coloniæ Asiaticæ dux & princeps sibi his verbis adscribit:

Runa Capitis Stroph. 1.

Weit eg ad eg hieck windga Meide
A Nætur allar Nyu/
Geyre wandadur og giefenn Odne
Sialfur sialffum mier. Id est:

Conscius mihi sum, quod incîdi curvas arbores,
Noctes integras novem,
Gladius affabrè elaboratus, & datus Odino,
Ipse ipsi mihi.

Qvin & in carmine omnium vetustissimo, *Woluspaa*, suæ Poëseos genium agnoscere coguntur: qvod tamen ipsis Asiaticis huc terrarum concedentibus antiqvius esse, ex eo colligitur, qvod ab

ab iisdem tanqvam antiqvitatis documentum citetur, teste Edda in Haarslyge. In his autem qvamvis qvædam priscæ & vetustate (uti fit) obsoletæ occurrant voces, qvarum significationem moderni non nisi studio asseqvuntur, Islandicæ tamen sunt & tales, qvæ à genio & indole lingvæ Islandicæ in variationibus & formis nihil abludunt. Non itaq; ad Norvegiam Islandiamq; tantum hanc lingvam astringimus, sed & Danos, Svecos, Saxones vicinosq; populos, imò & Anglos & Scotos, atq; (ut verbo dicam) universi Arctoi orbis, qvem Asiæ gentes Coloniis compleverunt, incolas eadem usos fuisse existimamus. Adstipulatur nostræ sententiæ Snorro Sturlonius, Scriptor pervetust⁹, qvi sub finem suæ in Eddam præfationis hac de re ita disserit: Þeir Æser toku sier Kuonfang Þar Innanlands/enn sumer Sonum sijnum/ og urdu Þessar ætter fiolmennar/ so at umm Saxland og allt Þadann umm Nordur halfuna dreifdist so at Þeirra Tunga Asia manna var æigen Tunga umm Øll Þesse Lønd/ og Þad Þikiast menn skynia meiga er ritud eru langfedga Nøfn Þeirra/ ad Þaug Nøfn hafa filgt Þesse Tungu / og Þad æser hafa haft Tunguna Nørdur hingad i heim / i Nøreg/ og Suiþiod og Saxland/og i Einglande eru førn Landaheite og stada sem skilia maa at ey aff annare Tungu eru giefenn / enn hier i Þesse. Id est: *Asiani uxores sibi in hisce regionibus (occupatis) accepere: & qvidam filiis suis. Et multiplicata est hæc natio, perq; Saxoniam & indè per Septentrionem sparsa, ita ut lingva Asiaticorum per omnes hasce terras genuina (sive unica) usurparetur. Id enim è nominibus Majorum, in monumentis & scriptis extantibus colligere licet, qvod illa hujus lingvæ propria fuerint, qvódq; Asiani lingvam in hunc Septentrionem, Norvegiam, Sveciam, Saxoniam secum attulerint. In Anglia etiam vetustæ urbium locorumq; appellationes inveniuntur, qvas apparet non ab alia qvam hac lingva ortum trahere.*

Assertionis suæ fundamenta ponit laudatus Scriptor propria tàm hominum qvàm locorum oppidorumq; nomina. Nec sine causa. Nam qvod propria veterum Borealium nomina at-

tinet, certum est ea ad hanc lingvam unicè pertinere, & bonam partem etiamnum apud Islandos in usu esse. Cujus census sunt: Guttormur/ Aßmundur/ Helge/ Suipdagur/ Skioldur/ Gramur/ Hiedenn/ Alfhilldur/ Suanhuijt/ Ragnhildur/ Et sexcenta alia Regum Reginarumq; Daniæ, Sveciæ ac Germaniæ Principum nomina. Locorum autem pariter ac civitatum appellationes, qvanqvam ita corruptæ & depravatæ hodiè sunt, ut vix à lingvæ nostræ peritissimo, qvid sibi velint, studio investigari possit; qvarundam tamen adhuc evidens origo est, & cum nostris in Islandia manifesta convenientia. V. C.

In Dania.

Viebiorg/ Aalborg/ Aaroos/ Hroßanes/ Ripur/ Vppsisla/ Hroaskellda/ Kuhage/ Hledra/ Gautaþorp/ Kroßeyre/ Helsingiaeyre/ Skögarhoffde/ Saurar/ i Husum/ Hierad/ Nes/ Eyre/ Vangur/ Jsafiordur/ Hlesey/ Huedna/ etc.

In Svecia.

Vpland/ Vestmannaland/ Sudurmannaland/ Helsingialand/ Vppsaler/ Eynkaupangur/ Sigtun/ Eyrargrund/ Vesturäs/ Aarbogur/ Kaupangur/ Eyrarbru/ Streingianes/ Bøtnen/ Nautaborg/ &c.

In Germania.

Vesturrijke/ Austurrijke/ Flandur. Holland/ Sæland/ Friisland/ Hønsetulond (nunc Holsten) Vestfold/ Mikelberg/ olim etiam Miklegardur/ Brunnsvijk/ Leyneborg/ Lyfland/ Hilldißheimur/ Hroastak/ Nordheimur/ Vindheimur/ Manheimur/ Jngolfstadur/ Odalßborg/ (nunc Oldenborg) Naamur/ Miklalien/ Dungaldßbær/ (hodie Dunkarken) Jarnsþorff/ etc. Sic Dana Aa Flumen, qvod nunc Donaw/ Hrijn qvod hodiè Rijn/ Odrenner Oderen/ Elffven/ olim Saxelffur/ & Gautelffur/ Vistula Vestlaa/ etc.

In Anglia.

Sølvaoos/ Jarnsey/ Garnsey/ Vikit/ Aungulsey/ Londunar/ Kortnvaller/ Hieradsfiordur/ Sudurfolk/ Nørdurfolk/ Bedsførde/ Oxførde/ Nørdhumraland/ Vesthumraland/ Skipaby/ Staffiordur/ etc.

In

Eskedalur/ Kattanes/ Kiølur/ Syßudalur/ Heidenborg/ Sandanya/ etc.

Has & hujus farinæ longè plurimas locorum, provinciarum, territoriorum, Ducatuum, civitatum, Insularum, fluminum, fontium appellationes, non heri aut nudius tertiùs excogitatas, sed plurimum antiqvitatis præ se ferentes, natales debere lingvæ, qvæ hodiè Islandica nuncupatur, ipsa vocum derivatio luculenter ostendit. Qvin & hodierna Germanorum lingva (nam de Norvegica, Danicâ & Svecica res ipsa loqvitur) dialecto saltem ab illa differre videtur. Id qvod singularum vocum inductione demonstrare non tàm difficile qvàm longum foret. Exemplum in aliqvot dabimus: Skapare Islandis est, qvod Germanis Schöpffer/ Isl. Sendebrieff/ Ger. Sendbreff/ Isl. Dagur/ Ger. Tag. Isl. Daglega/ Ger. Täglich: Isl. Jørd/ Germ. die Erde: Island. Land/ Ger. *idem*: Isl. Bann excommunicatio cum Germanico etiam planè coincidit, nam & illi Bann dicunt & Verbannung/ qvod Islandi Forbannan/ Dani Forbandelse. Mille id genus in numerato sunt, qvæ brevitatis studiosi de industria omittimus. De Anglis verò, præter locorum appellationes, Scriptor antiqv⁹ *Gunnlaugus Ormsonius* in sua historia disertè testatur, qvod illi lingva Norvegica ad *Wilhelmi Nothi* tempora usi fuerint. Comprobatq; idem Anglicarum vocum haud paucarum cum nostris convenientia. Boec illis est, qvod nobis Bok/ illi Meate scribunt qvod nos Matur/ illi Schelfische nos Skelfiskur/ etc. Prætereà in veteri Anglorum Alphabeto, cujus videndi copiam mihi fecit clarissimus & excellentissim⁹ Vir DN. M. THOMAS BANGIUS, Lingvæ Hebrææ in Regia Academia Hafniensi P. P. amicus & fautor meus sedulò honorandus, litera nostri idiomatis ut propria ita præcipua, Þ, nihil immutata conspicitur. Qvod certo indicio est, Veteres Anglos in hujus lingvæ communionem etiam venisse. Hinc liqvet, qvas & qvot gentes veterum Septentrionalium nomine intellectas velimus. Postqvam autem diversæ nationes continuis commerciorum excercitiis sese miscuerant, diversarum lingvarum paulatim facta est confusio; id qvod nostræ etiam contigit; adeò ut qvæ prius Danica & Gothica di-

ca dici solita est, propter communem apud illas nationes usum, tandem Norvegis adscriberetur, eo qvod apud hos diutissimè incorrupta maneret, cum jam in Dania Gothlandiaq; ac vicinis regionibus cæpisset mutari. Eadem ratione Islandica hodiè vocatur, qvod alibi depravatâ, soli Islandi pura & incorrupta utantur.

ASSERTIO II.

Literatura veterum Septentrionalium antiqvissima Runæ fuerunt.

Runas in usu fuisse veteribus Arctoi orbis incolis è monumentis ubiq; obviis constat. Easq; ab Asiaticis huc terrarum importatas esse, cùm aliundè, tum ex eo apparet, qvòd earum meminerit Odinus suprà descriptus, sibiq; tribuerit in Appendice Havamala his verbis:

Nista eg Nidur/ *Sulcum duxi,*
Nam eg upp Runar. id est: *Runas exaravi.*

An verò gentes, qvæ antè Asianorum immigrationem has habitârant terras, literas habuerint, non æqvè patet. Certè nulla earum extant vestigia. Qvapropter ego facilè adducor ut credam, primos harum regionum habitatores simplex & aggreste vivendi genus secutos literis excolendis nullam dedisse operam. *Lit. Run. cap 20.* Qvod si vera est Gilberti Genebardi, Marci Velseri, & aliorum sententia, qvi, citante Clarissimo Wormio, *Germanos temporibus Caroli Magni, qvæ in annum mundi circiter 4715 incidunt, primùm cogitationes de literarum studiis suscepisse* (qvanqvam de artibus liberalibus & disciplinis hoc intelligi debere existimem) *rudes qvamvis & incompositas* voluerunt; utiq; minus absurdum erit Danos & Gothos ad annum mundi 2960 literis aut saltem literarum usu & exercitio caruisse. Nam circà hæc tempora venisse huc Asianos sunt qvi statuant. Inveniuntur autem duplices Runæ, Veteres & Recentiores. Veteres sedecim constant characteribus in tres ordines, Ætter/ id est, familias vocari solitos distinctis hoc modo:

ᚠ. ᚢ. ᚦ. ᚮ. ᚱ. ᚴ. I Ordo
ᚼ. ᚾ. ᛁ. ᛅ. ᛋ. II Ordo } seu familia.
ᛏ. ᛒ. ᛘ. ᛚ. ᛦ. III Ordo

Hi

His contenti fuerunt literis Antiqvi, amplas significandi potestates iisdem indentes. Nam ᚴ & pro k & g, ᛏ pro t & d; I pro i & e, ᛦ pro y & finali r; item ur & yr promiscuè usurpârunt. Porrò singulos charecteres suo nomine rem certam denotante insigniverunt.

Opes.	Pluvia.	Gigas.	Ostium fluminis.	Eqvitatio.	Ulcus.
Fe.	Ur.	Þuß.	Os.	Reid.	Kaun.
Grando.	Molestia.	Glacies.	Annus.	Sol.	
Hagall.	Naud.	Js.	Aar.	Söl.	
Mars.	Frons.	Liqvor.	Homo.	Arc⁹ vel arbor viminea.	
Tyr.	Biarkan.	Lögur.	Madur.	Yr.	

Diligenter autem heîc observandum, qvod consonantes vocalibus postpositæ in colligendis scribendisqve literis cum præcedente vocali unam constituant syllabam: ac proindè non cum posteriore sed cum priore vocali cohærere & connecti debeant; contra qvam in aliis lingvis, Hebræâ, Græca & Latina usu receptum est. Ex. g. Dag-ur dies non Da-gur/ Posterius enim Islandis tàm in pingendo qvàm pronunciando vitiosum omninò est. Sic Hraffn-ar corvi, & Arff-ur hæreditas, non Hraff-nar & Ar-fur. Lund-ur non Lun-dur lucus, Ellst-ur non ell-stur vetustissimus. Hinc fit, ut consona aliter ab initio, qvam in medio & fine proferatur. Leniorem enim in medio & fine amat sonum, qvàm in initio, ubi fortiùs effertur. Idcircò veteres cujuslibet literæ & appellationem & significationem & geminum sonum Dysthico includebant, cujus prior versus initialis consonæ seu vocalis longæ; posterior mediæ sev finalis; item vocalis brevis sive tenuis valorem & sonum indicat. Extant hujusmodi XVI. Dysthica literarum numero respondentia, qvæ in gratiam curiosi lectoris heîc inserenda censui. Ita verò habent:

Fe velldur frænda rooge — *Opes discordiæ causa inter cognatos,* ᚠ
Fædist Ulfur i Sköge. — *Pascitur lupus in sylva.*

Prior versus f initiale in vocula, Fie/exhibet: posterior medium seu postpositivum in Ulfur. Sensus autem est: Cum divitiis non secus comparatum esse, ac locis sylvestribus. Nam ut opum possessori lites metuendæ sunt, & in primis hæreditariæ;

 ita

ita qvi in sylvis qvantumvis amœnis & frondosis gregem pascunt, à lupo, animali infesto, sibi cavere necesse habent. *Lites aluntur opibus, ut lupi sylvis. Nullum gaudium, qvod aliqva ægritudine non contaminetur.*

ᚢ Ur er aff elldu Jarne — *Candens ferrum scintillat,*
Opt sleipur Rane A Hiarne. — *Lapsat pertica in nive rigidâ.*

U longum est in voce Ur/ breve in sleipur. Sens. ut ferrum candens scintillas emittit, ita pertica currens, erutæ nivis glomulos undeqvaqve spargit. Perticas vocamus soleas ligneas oblongas, qvibus pedibus inductis, per juga, valles, campos nive rigentia feruntur Boreales. Vide Excellentiss. Wormii Lit. Run. Cap. XIX. *Nil nimium, qvod non noceat.*

ᚦ Þuß velldur kuenna kuillu/ — *Gigas fœminis terrorem incutit,*
Kaatur verdur faar aff Illu. — *Lætus malo contristatur.*

Þ præponitur vocali in voce Þuß; postponitur in verdur. Sen. Etsi fœminæ natura hilares sunt, tamen facilius perterrefiunt, citiusq; viris mœrore afficiuntur. Duo his indigitantur, 1. Muliebres affectus mobiles esse & inconstantes, varium & mutabile semper fœmina. 2. Immodicæ hilaritati non esse indulgendum: fieri enim posse, ut alicujus mali interventu subitò in luctum mutetur. *Sola virtus præstat gaudium perpetuum & securum. Senec.*

ᚱ Reid kuedur Roßum fasta/ — *Eqvitatio eqvis jejunium indicit,*
Ragn er Suerd bradasta. — *Convicium ensis acerrimus.*

R initiale in Reid/ medium in Suerd/ semivocali junctum in Bradasta. Sens. Reid eqvitatio, vox est concreta seu consignificans (si ita cum Logicis loqvi liceat) Significat enim eqvum & hominem consignificat, id est, & eqvum & hominem suo significatu comprehendit. Nam ut eqvitatio fiat, necessariò eqvus & homo concurrunt, hic tanqvam agens, ille velut patiens. Si jam cogitetur, qvid sit maximum, qvod eqvo accidere soleat, malum, certè nihil aliud est, qvam insidentis onus & agitatio, id est, eqvitatio. Absq; hac si esset, omni molestia in vita liber esset. Nam ad trahendos currus rariùs in hoc septentrione eqvi assvefiebant. Alteram verò partem concretæ voculæ Reid/ nimirum hominem si spectes, nihil

nihil ille ægrius fert, qvam se convitiis & maledicentiis onerari. *Qvisq; suos patimur manes.*

Os er flaustra ferda / *Ostium fluminis navium via*, ᚭ
Føt eru skalpur Sverda. *Vestis gladii est vagina.*

O longum est in voce Os/ breve in Føt. S. Ut fluminum ostia navium plerumq; esse solent receptacula, ubi à tempestatum injuria & maris æstu tutæ præstantur; ita receptus gladii vagina est, ubi à situ & rubigine tegitur & servatur. q. d. *Suum cuiq; esse asylum.*

Raun er bage Barna / *Ulcera infantium molestia*, ᛉ
Bøl giører Mær føl varna. *Luctus pallidam facit virginem.*

Raun initialis ᛉ sonum & potestatem exhibet. Qvodq; id etiam loco g, usurpare liceat, docet vox, giører / posterioris versus; nam Runicè sic esset scribenda ᛉᛁᛆᚱᛁᛆ. S. Infantes plerumq; cum scabie & ulceribus conflictari solent: Virginibus verò floridæ ætatis, nihil minus convenit, nec qvicqvam magis infestum qvam luctus. *Suus cujus hostis.*

Hagl er kaldast korna / *Grando frugum frigidissima*, ᚼ
Christur skop heimenn forna. *Christus creavit mundum veterem.*

H initiale vox, Hagl/ repræsentat: medium autem, seu potius aspiratum C, nomen Christur. Finale apud Islandos non datur. In sensu egregia est allusio ad duplicem literæ ᚼ significationem. Significat enim & Hagl grandinem, de qva prior versus agit: & Hagal id est, artificem, unde Hagleikur artificium. Hanc significationem in V. post. mentione creationis antiqvitas innuit. Nullum enim artificium majus mundi creatione.

Naud giorer nappa koste/ *Durum telum necessitas*, ᚾ
Naktan kiell i Froste. *Nudus frigore membra solvitur.*

N initiale ostendit Naud: finale Naktan. In priore versu humanæ calamitatis & miseriæ generalis extat descriptio: cujus speciale exemplum posterior exhibet, nempe nuditatem.

Js køllum Bru breida/ *Glaciem vocamus pontem latum*, ᛁ
Blindann þarff ad leida. *Cæcus indiget duce.*

I longum in Js/ breve in Blindann. Innuitur Naturam arti præpollere. Et amicum in adversis non esse deserendum.

Item, cautè & prudenter cum dolosis & fallere assvetis agendum.

ᛅ Ar er gumna gode/ *Annonæ vilitas hominum felicitas,*
Giet eg ad ør var Frode. *Hinc est Frodi largitas.*

A longum in Aar/breve in var/ & forsitan brevissimum in ør/ qvod sic (Ør) veteres pingebant. Sensus perspicuus est.

Fœcundat steriles cœli clementia terras, &
Non nisi propitio numine vivit homo.

ᛋ Sol er landa liome *Sol terrarum lumen,*
Lyse eg ad Helgum dome. *Faces sanctorum reliquiis alluceo.*

S initiale in Sol/ medium in Lyse. Prior versus disertis verbis delineat officium solis, qvod in illustrando hoc inferiore mundo consistit. Posterior autem ad diem Dominicum respicit, qvi à Sole denominatus est, *dies Solis*, (Dan. Sunnudagur à Sunnu/ qvod itidem Solem denotat) qvo die sacra cum veneratione & solennib⁹ Ceremoniis tractare convenit.

Sit nox centoculo qvamvis oculatior Argo,
Plus uno cernit lumine lusca dies.

Et

Περὶ πάντων σέβε τὸ θεῖον.

ᛏ.ᛏ Tyr er einhendur Asa/ *Tyrus inter Asianos unimanus,*
Opt verdur Smidur ad blasa. *Fabro sæpè flandum.*

T initiale in Tyr/finale in Opt/ & pro d usurpatum in Smidur ᛋᚢᛁᛏᛅ. Docent versus: Deos mortalibus omnia labore vendere. Tyrus ènim ut ominosum qvendam & insolitæ magnitudinis lupum vinciret, altera manuum se mutilari passus est. Conf. Edd.

ᛒ Biarkan er lauf grænst lima/ *Frons ramorum viridissima,*
Loke bar flærdar tima. *Locho versutiam callebat.*

B ante I consonans in Biarkan/ ante vocalem in Bar. Rarò finale est, igitur neq; heîc ejus exemplum ponitur. Frondes qvidem ramorum ipsis ramis sunt viridiores, minus tamen utilitatis habent. Non enim folia sed rami fructus ferunt. Qvocirca cum Lochone mendaciorum & vetsutiæ callentissimo comparantur. Limsta astutia, versutia, calliditas, doli,

li, à lini videtur derivatum, qvod colorem fucatum præ se ferat, nullius aliâs usus.

Non semper formam seqvitur pulcherrima virtus.

Lögur er þad sem fellur ur fialle / *Humores è montibus manant,* ᚳ
Fasta eign gull er Falle. *Princeps auri tenax est:*

Usus L initialis conspicitur in Lögur: Medii, finalis & gemini in falle/ gull/ &c. Divitiæ cum fluentis per contraria conferuntur. Humores enim in montibus & locis editioribus ac arduis generati, magno naturæ impetu in convalles decidui feruntur. Opes autem à suo Domino ægrè diffluunt & divelluntur. *Vos tanqvam aliqvis vobis æternam possessionem divitiarum promiserit, assvescitis illis & cohæretis,* inqvit *Seneca.*

Madur er molldar auke/ *Homo humi augmentum,* ᛘ
Mikil er greip a hauke. *Ingens est captus animi.*

Homo cum è pulvere conflatus sit, in pulverem etiam vita defunctus resolvitur, atq; ita suo pondere pulverem auget. Verum non hic totus homo est, qvi sic interit; sed est & alia pars hominis longè eminentior, nempe divinæ illa particula auræ, qvæ interitui obnoxia non est; qvæq; supra hæc terrena cogitatione elevatur. Hanc hominis partem longè potiorem voce haukur/ Poëta intelligit. Habuit enim Odinus duos accipitres, qvorum alter Huge. ɔ: animus, alter Mune ɔ: memoria vocabatur. Edda.

Sunt aliqvid manes, lethum non omnia finit:

Yr er vetrur grænst vida/ *Alnus frutex floridissimus,* ᛦ
Vont er þar er brennur ad Suida. *Malum est ardere.*

I longum indigitatur vocula Yr / breve Suida. Innuere videtur Poëta duplicem esse usum arborum seu lignorum, per Synechd. Sp. nempè ad arcus faciendos & focos alendos. Ex alnis seu fraxinis arcus conficiebantur.

Poëtæ ad literarum nomina & explicationes variè alludunt. Ex. g. Primus Character ᚠ vocatur Fie/ qvæ vox *Opes* denotat. Expressuri igitur hunc characterem Poëtæ, opes seu divitias multifariam à causis, effectis, adjunctis &c. describũt. At verò ne talis Periphastica allusio extra limites vagaretur, certæ qvædam formulæ, cev Paradigmata generalia, communiter

à veteribus receptæ ſunt, ad qvas, omnes aliæ literarum & rerum literis deſignatarum deſcriptiones, tanqvam ad amuſſim conformari debent. Veteres *Þrideilur* appellârunt: q.d. *triplicem vel triplicatam deſcriptionem vel Periphraſin.* Tripliciter enim ſingulorum characterum & appellationes & poteſtates exprimuntur ſeqventem in modum:

		Firda gaman /	Voluptas virorum,	F
ᚠ	Fie er	Frænda rogur /	Cognatorum jurgium,	Pecunia
		Graſſeidis gata /	Via colubri.	eſt.
		Skyagratur	Lachrymæ nubium,	U
ᚢ	Ur er	Skara Þerrer /	Nimborum exiccatio,	Pluvia
		Hirders hatur.	Odium paſtorum.	eſt.
		Kuenna kuol /	Terror fœminarum,	D
ᚦ	Þuß er	Klettabue /	Monticola,	Gigas
		Hamra heimramur.	Saxorum incola.	eſt.
		Alldagautur /	Seculi Princeps,	O
ᚮ	Os er	Valhallar Vijſer /	Cæſorũ aulæ moderator	Odinus
		Aſgardz jøffur.	Aulæ Aſiaticæ Rex.	eſt.
		Sitianda Sæla /	Sedentis voluptas,	R
R	Reid er	Snudug før /	Feſtinum iter,	Eqvitatio
		Jors erfuide.	Labor eqvi.	eſt.
		Barnabage /	Infantium moleſtia,	K
ᚴ	Kaun er	Bardagafør /	Pugnæ veſtigia,	Ulcus
		Holldſuahus.	Tabis domus.	eſt.
		Kalldakørn /	Frumentum gelidum,	H
ᚼ	Hagall er	Knappadrijffa /	Globoſa nix,	Grando
		Snaakaſott.	Vermium peſtis.	eſt.
		Þija Þraa /	Mancipiorum mœror,	N
ᚾ	Naud er	Þunger koſter /	Gravis conditio,	Moleſtia
		Voſamleg vera.	Ingrata manſio.	eſt.
		Ar Børkur /	Cortex amnis,	I
I	Is er	Unnar Þak /	Stagni tectum,	Glacies
		Feigs Forraad.	Moribundi decipula.	eſt.
		Gumna gode /	Hominum felicitas,	A
ᛅ	Ar er	Gott Sumar /	Proſpera meſſis,	Annus
		Algroen Akur.	Floridus ager.	eſt.

Sol

ᛋ	Sol er	Skipa skioldur /	Clypeus navium,	S
		Skijnande rødull /	Splendidus radius,	Sol
		Huerffande huel.	Volubilis rota.	est.
ᛏ	Tyr er	Balldurs Broder	Balderi frater,	T
		Einhendur Ås /	Deus unimanus,	Mars
		Ulffs leiffur.	Reliqviæ lupi.	est.
ᛒ	Biarkan	Lijtid lim /	Parva frons (dis)	B
		Laufgad trie /	Frondosa arbor,	Frons
		Vaxande Vidur.	Succrescens frutex.	est.
ᛘ	Madur	Mans gaman /	Hominis oblectatio,	M
		Molldar Auke /	Humi augmentum,	Homo
		Skipastreiter.	Naupegus.	est.
ᛚ	Logur	Vellande Vimur /	Fluctuans lacus,	L
		Vijdur Ketell /	Ampla cisterna,	Humor
		Ginnunga gap.	Pisciculorum fovea.	est.
ᛦ	Yr er	Tuibendur Boge /	Arcus utrinq; tensus,	Y
		Bardaga gagn /	Bellica supellex,	Arcus
		Fiffu fleiter.	Teli vector.	est.

Qvi plura de Poëticis periphrasibus juxtà ac ænigmatis literariis scire voluerit, adeat Literaturam Runicam Clarissimi & Excellentissimi DN. D. OLAI WORMII, Runarum Assertoris incomparabilis, & qvidem laudati operis Appendicem. Undè, qvæ huc faciunt, copiosè depromi possunt.

Qvid verò Runarum in tres ordines seu familias distinctio sibi velit, nemo, qvod sciam, literis prodidit. Qvantum tamen conjectura asseqvi licet, existimo eas secundum sua significata esse dispositas, ita ut primus ordo comprehendat illas, qvæ aliqvid mali & infortunii denotant: Secundus mixtas, seu partìm tristes, partìm lætas. Tertius omnes lætas & salutiferas. Id enim in singulis familiis observare haud difficile est. Nam ᚠ. ᚢ. ᚦ. ᚬ. ᚱ. ᚴ. 1. familiæ, omnes aliqvid triste portendunt. ᚠ jurgium, calumnias & bella inter homines. ᚢ lachrymas, terræ sterilitatem & annonæ caritatem. ᚦ metum & terrorem. ᚬ lethum sive exitium. ᚴ ulcera & morbos. Sic ᚼ prima secundi ordinis cum grandinem significat, nigra est, cum artis peritiam, candida. ᚾ Semper tristis. Denotat enim mœrorem.

R laborem.

rem.

rem, gravem conditionem &c. ᛁ itidem portentosa, designat enim hyemis inclementiam & viatorum interitum. Contrà duæ reliqvæ ᛅ & ᛋ salutares sunt. ᛅ enim annonæ ubertatem, agrorumq; fertilitatem: ᛋ mundi oculum, omniumq; rerum fotum & refocillationem significat. Tertii ordinis omnes sine discrimine in bonam partem accipiuntur. ᛏ namq; victoriam & fortitudinem notat. B terræ viriditatem & fructuum abundantiam. Ψ hominem, præstantissimam in toto mundo creaturam. ᛚ hilaritatem, & piscium qvibus homines victitant, promptuarium. ᛦ arma ad fugandos hostes necessaria. Moderni autem ex hac antiqva Runarum divisione novam scribendi methodum deduxere: idq; per numeros & qvidem duplices, superiores & inferiores. His literas ipsas, illis literarum ordines indicant. E. g. vocem ΨᛅᚦᚢR ita per numeros pingunt: $\overset{3}{iij}\ \overset{2}{iiij}\ \overset{1}{iij}\ \overset{1}{ij}\ \overset{1}{v}$. Heic ternarius superior tertium ordinem significat, inferior autem literam in eodem ordine tertiam nempe Ψ, seqvens II. ordinem, at qvaternarius infernè positus literam IV ejusdem ordinis, scilic. ᛅ vel a. Sic in cæteris.

Recentiores Runæ Characteres XXII complectuntur, secundum ordinem communis Alphabeti dispositos hoc modo:

a ᛅ	n ᚾ
b B	o ᚮ
c ı præponitur k, ut ck.	p B
d ᛏ vel Þ postpositivum.	r R
e ᛁ	s ᛋ
f ᚠ	t ᛏ ↑
g ᚵ	u ᚢ vocale, ᴧ vel ᚠ consf.
h ✱	y ᛦ aliqvando ᚤ.
i ᛁ	z ᛉ
k ᚴ	
l ᛚ	Þ qvod ab initio æqvipollet vel ϑ Græcorum, vel ת Hebræorum.
m Ψ	

Harum Runarum punctis distinctarum & juxta ordinem à Roma-

manis receptum dispositatum usum posterioris ævi Scriptoribus familiarem fuisse, Fasti veterum à Clariss: WORMIO ante VIII. annos editi luculenter testantur. Fuit tamen insulsus qvidam Sannio, qvi hanc Literaturam non minus infœlici qvam improbo conatu sugillavit, sparsis in vulgum cantilenis qvibusdam anilibus, plumbearum aflaniarum refertissimis,

——— Qvas Crassus rideat ipse
Qvi nunqvam risit. ———

Hæc autem sunt è qvisqviliis ejus & crepundiis selecta, qvæ rigidiore censura perseqvitur.

I.

ᚠ. qvod in v consonans mutatum punctulo signari non patitur. Sed majoris fidei apud nos sunt Calendariographi veteres, qvi hoc usurpårunt. Nam in Calendario Runico ante annos circiter trecentos exarato, legitur: ᚠᛁᚿᛍᛂᚿᛍᛁᚢᛋ Vincencius, ᚠᛆᛚᛂᚿᛐᛁᚿᚢᛋ Valentinus, ᚠᛁᚴᛐᚮᚱ Victor, ᚠᛁᛐᛆᛚᛁᛋ Vitalis, ᚿᚮᚠᛂᛘᛒᛂᚱ November, &c. Enimverò geminus literæ ᚠ sonus hanc distinctionem Veteribus extorsit. Aliter n. sonat in voce ᛆᚠᛁ avus, aliter in ᚠᛆᚠᛁ Color. Qvod discrimen miser Criticus lingvæ ignarus ignorat.

II.

ᚦ þuß appellari & Gigantem significare negat: Sed qvo antiqvitatis documento? Nullo. Qvin & hic veterum Periphrases cavillatori in os contradicunt. Describitur enim þuß/ qvod sit Kleitabue/Hamra heimramur/ flagdafader/Grydarmake/ þrautasmidur / id est: monticola, saxorum incola, immanium monstrorum parens, doli & malorum fabricator, monstrosarum fœminarum socius. Anne hæc gigantum generi apprimè competant omnia, judicium penes cordatos esto. Idem à ᛏ non distingvi ex eo conatur probare, qvod þyre Danabot per ᛏ [ᛏᚢᚱᛁ] scribatur. Cum sic apertè mentiri impudens lingva non vereatur, qvid non audebit loqvi? Certè in ipso cippo & qvidem *Ierlingensi* ᚦᚢᚱᛁ non ᛏᚢᚱᛁ legitur.

III.

ᛆ Non dari geminum longum & breve audet asseverare.

 Uti-

Utinam hoc Hebræis & Græcis perſvadere conetur. Doctos vocamus Fröda per o longum, qværo num Buræo idem ſit Frøda per ø breve, id eſt ſpuma? Qvidve diſcriminis erit inter Glöd cinis, & gløð læta, inter Stör magnus, & Stør juncus, Hör adulterium & Hør mucus, niſi qvod illa per o longum, hæc per o breve efferenda ſint?

IV.

ᛦ in Ø transverſa lineola ſectum à nobis mutari calumniatur. Non enim Ø ſed Y valere dicimus, *Waldemari* II. Daniæ Regis & ſubſeqventium authoritate muniti. *Waldemarus* enim in ſententia, qvâ literas Runicas complexus eſt, vocem flyde/ his characteribus pingit: ᚠᛚᛦᛑᛂ. Egregiè de hac litera diſſerit Perſpicaciſſimus *Wormius* Lit Run. cap. XII. inqviens: R *in principio, in fine & in medio dictionis poſitum invenio, ſed* ᛦ *non niſi in fine, ubi cum* R *poteſtate ferè coincidere debet. Atq; ibidem cum reperitur, non ſemper ſimplicis conſonantis vim obtinet, ſed maxima ex parte ſyllabæ integræ ac vocalis, quæ eam præcedere debebat, vim abſorbet atq; in ſe continet, ſive E ſive I, ſive U ſive Y exiſtat, qvod infinita exemplorum inductione, ſi neceſſum foret, probare poſſem. Idq; tantum in Danicis (de Sveticis non loqvor) obſervatum notavi. Qvinimò qvibusdam in locis non* R *ſed* Y, *poteſtate reſpondere ſunt qvi autumant: qvibus ut aſſentiar, facit monumentorum Norvagicorum & Islandicorum fides indubitata. Nam inter reliqva in Bildenenſi* ᛋᛦᛋᛐᚢᚱ Syſtur *lego. Sic & in dicto Waldemari Regis* ᚠᛚᛦᛑᛁ flydi/ *idem arguit &c.* Et rurſus cap. 30. ᛦ *valorem* Y *etiam obtinuiſſe ſupra oſtenſum, & ex Arngrimo probatum, qvi datis ad me literis Anno* MDCXXVI. *hæc inſuper ſcripſit, de Scaldæ Literaria tractatione ſermonem faciens: Inter vocales etiam* Y *deſideratur, quæ ſexta eſſet, & propriam figuram & nomen nacta eſt, videlicet* ᛦ, *vocatur Yr &c.* Tantum abeſt Wormius ᛦ valere Ø aſſeruerit, ut in deſcribenda ᛦ poteſtate nullam planè Ø fecerit mentionem.

V.

ᛔ Cum p exprimere debet, punctulo in ventre inferiore notari neqvaqvam probat: Idq; qvia in cippis Sveticis non reperiatur. Egregia verò conſeqventia: In cippis Sveonum non reperitur, Ergo non eſt. Qvaſi verò nihil admittendum ſit, niſi

qvod

qvod ſaxa Sveciæ habent. Sed nec ipſe qvidem WORMIUS punctatum B antiqvioribus monumentis attribuit; verum à modernis inventum ait, his verbis: B *principaliter eſt B latinum, ut* ᛘᚢᛒᛚ Kubl / *ſed minus principaliter P. Qvod enim puncto inſignitur, aut ventres eo fine aperiantur id novum eſſe conſtat. Eſt etiam qvandò duplicis vel fortioris B induat naturam, ut* ᚼᛆᚢB. Hæc WORMIUS: qvibus B puncto inſignitum à veterum uſu removet, & modernorum inventioni accenſet. Veruntamen non ita novum eſt, qvin tempore Waldemari II Daniæ Regis in uſu fuerit. Is enim voculam primam dicti illius ſui ſupra memorati Sprejnge per B punctatum ſcribi curavit ſic: ᚯBRIᚼᚯᛆ. Non igitur contra nos eſt, qvod B in petris ñ reperiatur; cum à recentioribus additum eſſe fateamur. *Lit Run. 30. Cap.*

VI.

Figuram ᚢ non admittit: in cujus locum ר Hæbræorum ſubſtituit. Sed qvis furor eſt furto gaudere, ubi propria ſat ſunt? Certè non in uno aut altero monumento Daniæ & Norvegiæ, ſed in antiqviſſimis qvibusq; cippis hæc figura conſpicitur. An in Sveticis columnis extet, non ſumus ſolliciti; Neq; enim illarum tanta eſt auctoritas, ut omnibus aliis monumentis fidem derogare poſſint aut debeant.

VII.

ᛀ pro gemino n ſcribi ægrè fert. Qvid hoc aliud eſt, qvam veteres modum ſuas pingendi literas docere velle? Conſpicitur enim etiam hodiè monumentum *Leragriæ* in *Blekingia* hac inter alias nota conſignatum. Qvod noſtro qvidem Momo longè antiqvius dicere auſim, qvamvis hic tot millia dierum, qvot hîc numerus 26455 continet, jactitet.

IIX.

ᛁ punctatum nugarum ille mango ſubſannat. Sed neq; hoc antiqvitatis teſtimonio caret: Extat enim in Sclandia Danorum monumentum bene antiqvum TRYGVELDENSE, in qvo ᛁ plus vicies puncto ſectum cernere licet: Neq; hoc tantùm, ſed & vix ullum reperiri poteſt ſaxum, qvod aliqvid vetuſtatis præ ſe fert, literisq; Runicis inſculptum eſt, qvin hunc characterem inter alios contineat. Id qvod ſingulorum adductione, ſi neceſſum

 foret,

foret, & hoc, qvod adduxi, ad fidem faciendam non sufficeret, probare evidenter possem Adeo ut mirer eo impudentiæ qvenqvam processisse, ut punctatum I Runis excludere haud veritus fuerit. IX.

ᛆ dempto ventriculo sic ᛌ pingendum clamitat. Verum ut hanc figuram à veteribus usurpatam non ignoramus, ita illam nihilo infreqventiorem apud antiqvissimos qvosq; fuisse constanter asserimus. Et ne Aristarchi nostri instar, nudis assertionibus pugnare videamur, producimus Gothlandiæ & Norvegiæ monumenta, nihil minus qvam nova. Et in primis Inscriptionem qvam in Korpetlinte *Gothlandiæ* ab *Helgone* incisam ferunt. Deinde *Hoperstadium Norrigiorum* in *Vigensi* Parochia, ut & illud qvod in *Ethnes*, in aditu cœmiterii *Gierdu* visitur. Tertiò admiranda illa virtutum trophæa proferimus, qvæ in Totten *Hadelandiæ* & parochia Gram monumentis mandata conspiciuntur. In qvibus omnibus pervetustum literæ & figuræ ᛆ usum videre licet. ᛌ autem non tam S, ut ᛆ, qvam C Latinorum priscis valuisse plurima sunt qvæ docent. Inter alia verò Fasti suprà citati, in qvibus *Vincentius* sic ᚢᛁᚴᛌᚾᚴᛌᛁᚢᛋ pingitur. Sic ᛚᚢᛌᛁᛅ *Lucia*, ᛌᚾᛌᛁᛚᛅ *Cecilia*, ᚴᚱᚢᛌᛁᛋ *Crucis*, ᛏᛁᛒᚢᚱᛌᛁᚢᛋ *Tiburcius*, ᛒᚱᛆᛌᚾᛋᛋᛁ ᛘᛅᚱᛌᛁᚿᛁᛅᚿ *Processi Marciniani*, ᛏᚾᛌᚾᛘᛒᚾᚱ *December*, &c.

Sed piget has ineptias recensere, nulla vel rationis specie nedum antiqvitatis documento nixas. Nam ex his, qvæ allata sunt, facilè cætera æqvus Censor æstimabit.

ASSERTIO III.

Sæmundus cognomento Fröde *Runas punctis distinctas & ad Romanarum Literarum ordinem & pronunciationem conformatas in Islandiam invexit.*

ANno Christi CIↃLXXII hic Sæmundus liberalium artium studio flagrans, raræ illo seculo eruditionis comparandæ gratia Coloniam Germaniæ ad Rhenum concessit. Ubi cum humanioribus literis triennium gnaviter vacasset, in Islandiam redux,

dux, ludum ibi literarium primus aperuit, in qvo ſuæ informationi commiſſos modum latinas pingendi literas, qvem à Præceptoribus acceperat, docere cæpit, atq; ad harum imitationem confuſas Ethnicorum Runas emendavit. Cujᵒ rei præter alia ejus manuſcripta evidens documentũ eſt Tabula Cyclorum, Solaris, Lunaris & Paſchalis ab eodem conciñata. In qva literę primipilæ, noſtris Primſtaffer dictæ, partim punctatis Runis, partim veteribᵒ exaratæ in margine ponuntur hoc modo: ᛒ. ᛁ. ᛆ. ᚽ. ᚠ. ᚠ. ᚼ. ᛁ. ᚴ. ᛚ. ᛘ. ᛚ. ᛑ. ᛒ. ᛩ. ᚱ. ᚯ. ᛆ. ᚢ. Unde diſpaleſcit Runas ante Valdemarum II. Daniæ Regem victorioſum, qvi floruit circa annum Chriſti MCCXVI. & juxta ordinem à Romanis receptum diſpoſitas & aliqva ex parte punctatas fuiſſe. Qvod autem communi aliorum aſſertione Waldemaro tribuãtur, ideo factum reor, qvod ille Runis punctorum ſectione accuratis & auctis, præ cæteris Regibus vehementer delectatus & uſus fuerit, & forſitan etiam nonnullis punctis auxerit, qvodq; talis Literatura laudatiſſimi Principis operâ longè lateq; per Imperium Danicum anteà paucis cognita innotuerit, atq; à multis ad exemplum Regis excoli cæperit. Enimverò è *Schalda*, qvam fundamentum ſuæ ſententiæ qvidam eſſe volũt, nihil aliud probatur, qvâm qvod *Waldemarus* Runas omnes earumq; poteſtates, ne qvid de earum numero & genuino uſu, tractu temporis interiret, unicæ incluſerit ſententiæ:

ᚯᛒᚱᚽᛁᚿᚠᛆ ᛘᛆᚿᛋ ᚼᚽᛏ ᚠᛚᛦᚦᛁ ᚦᚢᛁ ᛒᚽᛚᛚ.

Spreingt Mans Høt/ fÿndi þui Bøll.

Qvæ ad verbum ſic ſonat: *Ruptum viri mentum fugit idcirco pilam.* Futilis igitur & ſibilo digna eſt verſio, qvam cornicans ille Graculus, cujus deliria ſupra deteximus, in medium proferre non erubuit. *Ruptum jumentum, fugit duorum ſeſſorum onus.* Primò namq; ordinem vocum, qvem ex ipſo M. S. conſtat à *Waldemaro* factum, invertit, dum vocem Mans/ qvæ ab Authore ſecunda ordine poſita eſt, ille penultimam collocat, nulla (ut apparet) alia ratione motus, niſi ut interpretationi nimis qvàm vanæ fidem faciat. Deinde in lingva veteri Septentrionalium extremam ſuam ruditatem & ignorantiam turpiter prodit. I. Dum vocem Høt jumentum interpretatur, ad qvam interpretatio-

 nem

nem vel ipse *Waldemarus*, si redivivus foret, obstupesceret. Høk enim nunqvam sive apud veteres sive recentiores aliud qvam mentum significat. Exempli g. adducam, qvod Poëta insignis *Sigurdus* Blinde ɔ: *cæcus* olim cecinit:

Eggin Stegge illa kloo/ *Ensis malè mulctavit barbam*,
Allann skall af høku floo/ *Omnem menti prominentiam ab-*
Nidur umm Midiar Naser droo/ *(scidit &c.*
Nessens ressing fieck hann þoo.

Qvis verò te docuit, homo impudens, aspirationem initialem in Høk/ suffurari? Qvæ si adimeretur, utiq; ✱ non ignobilem Runicæ literaturæ Characteram à *Waldemaro* neglectum fuisse seqveretur. Qvod eo minus nobis persvadebis, qvo certius nobis est, *Waldemarum* omnes & singulas literas Runicas hac γνωμῇ complecti voluisse. Jam verò ✱ in nulla alia voce hujus dicti locum habere potest. Qvod si vel maximè Øk legendum esset, nulla tamen ratione jumentum significaret. Øk enim jugum denotat, à qvo derivatum est Eikur jumentum, qvod jugum portat, nunc corruptè Øg. Sed neq; g hic locus est, qvippè qvod in prima voce (Spreingt) positum, præter necessitatem iterari non debuit. II. In eo qvod þui Mans duorum sessorum vertit. þui vel est conjunctio causalis ut Edd. Fab. XXXIII þui ad einge hefur suo Ørdet og einge Mun verda / eff gamall verdur/ ad ei kome ellenn øllum til falls. Id est: Nemo enim fuit nec futurus est, si maturiorem attigerit ætatem, qvi senectutis incommoda vel non senserit vel non sit sensurus. Ibid. XXXIX. Skiped Naglfare er giort aff Nøglum daudra Manna / og er þad þui varudar vert eff Madur deijr med Ofkornum Nøglum ad saa Madur eikur miked efne thil Skipsens Naglfars / er guder og Menn villdu seint agiort yrde. Id est: Navis Naglfare ex ungvibus mortuorum confecta est: atq; ideo observatu dignum est, si qvis non abscissis ungvibus intereat, qvod is maximè augeat materiam navis Naglfars/ qvam dii & homines serò absolutam vellent.

Vel Pronomen 3 Pers. Dat. C. Sing. N. Neut. G. ab hann / hun / þad ille, illa, illud, G. hans / hennar / þeß / D. honum henne / þui. Edd. F. XXXIX. Suerd surttar er gott mjøk / af þui skijn Biartara enn af Sølu / ɔ: Gladius Surteri valdè excellit, illi

splen-

splendor est Sole clarior. Item *Niala:* Stafur liffer eijrn þad er inni / unnfors vider brunnu / Syner ollu þui Snialler Sigfus Nialshusa: ɔ: Unica columna superest domus Niali, in qva viri cremati sunt, Id effecerunt Sigfuseri filii. Aliqvando etiam particula þui in Adverbium interrogandi degenerat: ut þui gioter þu þad? cur hoc facis? pro qvo tamen Veteres hui dixerunt: Edd. F. XXXVI Hel sagde thil Balldurs: Hui rijdur þu hier a Helveg? Lethe dixit ad Balderum: Cur viam lethi calcas? Aliter autem qvam in aliqva harum significationum, neq; à veteribus usurpatum unqvam legitur, neq; à modernis adhibetur. Mans autem Genit. Singularis est, à Nominativô Madur vir vel homo. Qvomodo igitur duos sessores denotabunt þui mans? Nihil absurdius: tueggia manna vel tuimennings dici oportuisse, si Genitivus Pluralis, duorum hominum, fuisset sine barbarismo experimendus, à nobis disces, qvi vocum inflexionem novimus. III. Boll pro onere accipis, nunqvam ullo antiqvitatis testimonio vel apparenter saltem probatum dabis. Bollur enim globum missilem vel pilam significat, à qvo Accus. Boll dempto finali ur. Eyrbiggia: Viglundur og Trauste lieku Boll vid Jokul Holmketilsøn. id est: Viglundus & Trausto luserunt pila contra Joehillum Holmketilli filium. Sunt qvidem è trivio, qvi hominem incurvatum & humi sedentem Bola per lusum vocant. Sed valdè dubito, an hæc vox antiqvitatem sapiat, cum nullibi in Scriptis veterum occurrat. Qvicqvid sit, frustra in ea præsidium absurdissimæ versioni qværitur. Sic enim ᛒᛆᛚᛘ à Nom. ᛒᛆᛚᚱ, non autem ᛒᚯᛚᛚ scribendum fuisset. Ita turpe est, & apud omnes bonos detestabile maximorum virorum laboribus æternâ laude & prædicatione dignissimis calumniarum labem aspergi ab illis, qvi cerebrum habent omni helleboro egentissimum, & in rebus, qvibus illustrandis præclaram alii navarunt operam, ipsi hospites sunt.

Adjectiones.

1. *Gothos à Sveonibus Runas accepisse, assertio est, quæ cum Antiqvitatibus fide dignis è diametro pugnat.*
2. *Lingva Islandorum rectè Septentrionalis dicitur.*

3. A&

3. *Á & per a longum pronunciari & per annum non per aratrum explicari debere, veteres ejus periphrases satis evincunt, qvæ sic habent:* Ar er dagur yms / allda drygende / heimateckt / tolf Manada vist / tuømißere / tijme kringloottur / Alldurs abæter / elledagar / Bigdabiørg og Bænda regla.

4. *Satis Islandorum annales sibi constant, si vel maximè Islandia olim* Thule *sive* Thyle *fuerit appellata.*

5. *Si lumine naturali notissimum est*, à nihilo nihil fieri, *non minus certa erit hæc propositio*: Ego facio, ergo sum, *qvam illa*: Ego cogito, ergo sum.

6. *Non seqvitur*: Si potestas in Deo immensa est, ergo nihil unqvam à nobis fieri potest, qvod non antè ab ipso fuerit præordinatũ; *qvæ est Des-Cartes connexio Princ. Phil Par.I.p.15.*

7. *Qvamvis nemo est qvi velit falli, nemo tamen ita fallitur, qvin per voluntatem fallatur.*

8. *Multos seduxit illa Platonis sententia*: Agri verò & arbores, nihil me docere possunt, sed homines qvi in urbe sunt.

9. *Multò rectius monuit, qvi dixit:* Vade ad formicam piger & considera viam ejus, & disce prudentiam: qvę cum non habeat ducem, nec præceptorem, præparat in æstate, &c.

10. *Persii illud*: Ingenii largitor venter, *sano sensu acceptum admitti potest.*

11. *Et hoc vulgò tritum*: Stultorum omnia plena.

12. *Et hoc Hippocratis*: Ex vestitu cognosces hominem.

13. *Et hoc:* Nihil est jam dictum, qvod non dictum sit prius.

14. *Ethnicæ dierum à* Marte, Mercurio, Jove, Venere *denominationes rectius ab Islandis abrogatæ rejectæq; sunt, qvam ab aliis retentæ.*

15. *Vera Philosophia est* studium similitudinis cùm Deo comparandæ, *vel, ut alii efferunt*, assimilari Deo.

16. *Prudenter ergò & piè Salomon*: Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum.

DEO. UNI. SOLI. SAPIENTI. GLORIA.

Runa reclamat.

Sprengd er Øg: Flydde Twe mans Bøla.

Vikuren a sier føla/
Er Adur sprack i Møla/
Klagar þann kiapta þuøla/
Kienna vill Run ad þøla/
Tuemanns Beygiu Bøla/
Bidur ad sie vitz støla/
Brendt til kaldra køla/
Kyned Bylds og wøla.

Fagurt sungu fuglarner fyrr i Niflunga hellu/
Enn gaukurenn nu gaer ecke ad øllu.

Fagrann Miød aff Berlings brunn/
Baru skällden sier i Munn/
Umm Danawelde vijda kunn/
Vißu allann Runar grunn/
Enn Gaukurenn hann gaer ecke ad øllu.

Enn Gøk maa kalla þenna þriot/
Er þorer fuglum gøgia Amoot/
Sier vill eigna Runa rot/
Rekur þar til dara Noot/
Gaukurenn þo gaer ecke ad øllu.

Huor heffur sied eirn soddann gauk/
Sama kallar eijk og hauk/
Haka er þo enn ad Auk/
Ur þui vill hann giøra Mauk/
Gaukurenn skillde gaa ad þeßu øllu.

Øked draga Eijkur best/
Eikinn hrosar bloma mest/
Øku þoor ad Auke siest/

D Ok

Ok hann vt vmm løndenn flest/
G. Sk. g. A. þ. Ø.
Hak er fyrst a hnuenu/
Høk er under Skeggenu/
Høk finn þu i hreidrenu/
Høg af leijr og Sorpenu/
Gøkurenn Sæll þu gaer ecke ad øllu.
Þij er kyned þrælanna/
Þyr Aslandenn Naukanna/
Þui Atkuæded Ørdanna/
Arfur tueggia Brædranna/
G. S. þ. g. e. a. ø.
Ty og Niord menn trudu Aa/
Ty og Suerd i Strijde riaa/
Tygenn edla teliast knaa/
Tuimenninge rijda maa/
G. S. g. A. þ. ø.
Boll vier kollum Bragnaleik/
Bol a kuista lausre Eik/
Bole Eigil Budlung sueik/
Bøll ei nessner Mærenn smeik/
G. S. þ. g. E. A. Ø.
Boola þad sem belger vt/
Bøl er tregi/ hrigd og sut/
Bool er siska Baru lut/
Baul kemur vt af raddar stut/
G. Sk. g. A. þ. Ø.
Sa førnum geffur frodleik akt/
Fær ei hier vmm riettar sagt/
þui Briala til og Binda vr skakt/
Bannad er ad Skallda frakt/
Gøkurenn ætte gaa ad þeßu øllu.

Liſta maa Þann Læreſpoon/
Leſa ſkal hann heim vid Don/
Saa ed riettur Runa Þioon/
Reinaſt vill enn ecke ſloon/
    Gøkurenn Sæll hann gaer ecke ad øllu.
Þættad ſaman Þ og t/
Þad var ecke ad firndenne/
Þoo nu ſie hallded Had og Spie/
Heilog ſtanda gømul vie/
    Gauta maaled gegner Þeßu øllu.
משנה finſt og Þalmuds ים/
Þorned vort huar drøgum aff/
Ellſta Maaled er vpphaff/
Ebraiſkan Nidium gaff/
    Greinelega giætt Sie ad Þui øllu.

G. A. T.



